

## \*5. HEDYPNOIS pendula. W.

H. caule erecto paniculato, foliis oblongis hispidis profunde dentatis, squamis calycis fructigeri glabris apice muricato-setosis. W.

Hyoseris pendula. *Balbis.*

Hängendes Röhrlein-Kraut. W.

*Habitat* — — — — ⊙ (v. f.)

Caulis erectus sesquipedalis hispidus, ut tota plantæ pilis furcatis obsitus, apice paniculatus. Folia inferiora obovata runcinato-dentata, superiora oblonga amplexicaulia profunde dentata. Pedunculi incrassati. Calyces calyculati, fructigeri oblongi; squamis glabris, apice setis obsitis. Differt ab *H. cretica* caule erecto, foliis hispidioribus profundiusque dentatis. Flores ante anthesin penduli ut in *H. cretica*. W.

## \*1419. K R I G I A.

*Gen. pl. ed. Schreb. n. 1244.*

*Recept.* nudum. *Cal.* polyphyllus simplex. *Pappus* membranaceus 5-phyllus cum setis 5 intermixtis alternis.

## 1. KRIGIA virginica. W.

Hyoseris (*virginica*) scapis unifloris, foliis lanceolatis lyratis glabris. Sp. pl. 1138. Gron. virg. 60. \*

*Houttuyn Lin. Pfl. Syst. 9. p. 105.*

Virginische Kriegie. W.

*Habitat* in Virginia, Pennsylvania. ⊙ (v. f.)

Folia radicalia prima ovata, tum lanceolata demum lyrata acuta glabra. Scapi nudi uniflori foliis triplo longiores. Calyces simplicissimi nec imbricati, ex decem foliolis lanceolatis. Corolla saturate lutea. Semina tetragona, coronata marginè membranaceo integro, insuper setis 3. f. 4. longis.

Pappus squamis membranaceis subrotundis obtusis quinque, cum totidem setis alteruantibus compotus. W.